



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Dispytatio VI. De secundo attributo Entis, scilicet de Veritate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

DISPUTATIO VI.

De secundo attributo entis, scilicet de Veritate.

QVÆSTIO I.

Quid addat Veritas supra ens.

SECTIO I.

Sententia adversaria ponuntur.

PRIMA sententia asserit verum supra ens solum addere relationem seu respectum rationis, ita Pater Vazquez, 1. part. disput. 77. sequutus Patrem Molina 1. part. disp. 2. addit Pater Vazquez, quod veritas in rebus sit secundarie ab intellectu derivata, ita ut solum res dicantur veræ, quod sunt causa veri iudicii in intellectu; ex qua doctrina sequitur omnem veritatem proprie, & primario esse in iudicio enuntiationis, cætera autem omnia secundarie à veritate intellectus vera nuncupari, hoc non indiget peculiari confirmatione; idem enim satis perspicue fiet si prius monstratum fuerit res veras, aut falsas, non alia ratione tales appellari, quam quia sunt veri, aut falsi iudicii in intellectu, id autem animose dictum confirmat, primo.

1. Ex Aristotele id exprimente clare 5. met. c. 29. his verbis, falsum dicitur vno modo ut res falsa, & huius hoc quidem quod non componitur, aut quod impossibile sit componi, ubi falsitatem rerum refert Aristoteles ad compositionem proprie, & primario, secundarie, & improprie ad res; ergo & veritas simul, quia non est maior ratio falsitatis ac veritatis.

2. Secundo ratione, quoties res aliqua dicitur falsa, non dicitur falsa simpliciter accepta: sed compositione, & enuntiatione aliqua tacite innuata, nulla enim res dicitur falsa relata ad id quod est, licet habeat esse imperfectum; sed relatio ad id, quod non est, in quo manifeste innuatur compositio enuntiationis ex ordine ad quam res illa appellatur falsa, v. g. aurum, quantumvis imperfectum, nullo modo dicimus falsum aurum; sed rem illam, quæ cum nullum esse habeat auri, exterius tamen apparet aurum, hanc autem rem falsum aurum appellamus, dicitur autem falsum ex eo quod est causa deceptionis in intellectu.

3. Secunda sententia asserit veritatem esse relationem realem prædicamentalem mensurati ad intellectum divinum. Hæc sententia ab aliquibus magis consequenter loquentibus asseritur in omnibus rebus dari talem relationem, imo esse veritatem transcendentalem omnium. Alij autem qui non directa acoluta, rectoque filo procedentes dicunt solum in creaturis esse veritatem transcendentalem relationem prædicamentalem, in cæte-

ris autem non explicant in quo consistat, imo insinuant in ente ut sic aliud esse veritatem transcendentalem, tanquam si dicerent homo ut sic est animal rationale, talis autem homo est relatio prædicamentalis, vel quantitas.

Probat ut sic primo, veritas transcendens non potest esse ipsissimus conceptus entis cum aliquid addat supra illum, neque item potest esse negatio fidei, seu apparentis entis, neque denominatio absoluta intrinseca, quia hæc convenit rebus absque dependentia in sui existentia ab extrinsecis rebus existentibus tamquam à terminis, quos respiciant; veritas autem cum sit adæquatio rei cum ratione increata, connotat hanc, ut terminum suæ habitudinis, necessario existentem: erit ergo veritas transcendens relatio prædicamentalis mensurati, quia nihil aliud excogitari potest.

Confirmatur, in hac relatione reperiuntur omnia necessaria, ut ipsa concipi possit ut passio seu proprietas recurrens cum ente, sive relativo, sive absoluto; in primis enim re non distinguitur relatio ab ente; deinde est conceptus secundarius supponens conceptum entis, ut primarium: vltimo relatio hæc recurrit cum omni ente.

Tertia sententia est Patris Hurtado in metaph. disp. 7. sect. 1. ubi ait veritatem transcendentalem esse denominationem extrinsecam provenientem à cognitione possibili, & probatur.

Primo, quia ita se habet verum ad cognitionem, & res quæ vera dicitur, sicut sanum ad animal habens sanitatem, & ad medicinam causam salutis; ergo sicut animal dicitur sanum intrinseca denominatione, ita, & res dicuntur veræ extrinsece, cognitio autem intrinsece. Antecedens sic probatur, nam sicut ablata sanitate quæ formaliter est in animali, reliqua non determinarentur sana, ita ablata veritate cognitionis, reliqua non denominarentur vera; ergo.

Secundo esse cognitum est denominatio extrinseca: ergo esse cognoscibile, quod est verum, est denominatio extrinseca: antecedens certum est, consequentia sic probatur, quia eadem cognitio, quæ denominat cognitum, denominat obiectum cognoscibile: sed quia cognitio quæ est extrinseca cognitio est forma illius, denominatque extrinsece cognitum: ergo ipsa cognitio, quæ etiam est forma extrinseca respectu cognoscibilis, reddet ipsum extrinsece cognoscibile.

Confirmatur, quia eo præcise quod cognitio sit apta ut terminetur ad obiectum, obiectum est aptum ut terminet cognitionem, sed cognitionem esse aptam ut terminetur ad obiectum est extrinseca denominatio obiecti: ergo aptitudo obiecti, ut terminet cognitionem est extrinseca denominatio obiecti; minor patet, quia actu terminari cognitionem ad obiectum est extrinsecum obiecto, quia est ipsa cognitio actualis. Maior probatur, quia actu cognitionem terminari ad obiectum est formaliter idem ac obiectum terminare cognitionem, sicut visum videre colores est idem formaliter ac colores videri à visu: ergo obiectum eo præcise est cognoscibile, quod cognitio possit ad illud terminari, nam effectus actualis, & possibilis tribuuntur ab eadem forma actuali, & potentiali, sicut ab eadem vnione constituuntur partes in esse vniti, & in esse vnibilis: ergo.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur.

¹⁰ Prima conclusio: veritas transcendentalis non est ens rationis, nec addit illud supra ens, & probatur primo, quia ens reale, & essentia realis debet habere attributa, seu passiones reales, & non rationis; sed ens est essentia realis, & veritas est attributum eius: ergo veritas est ens reale, & non rationis. Maior est nota, quia attributa, & passiones, aut identificantur cum essentia, aut sunt quasi effectus emanantes realiter, aut consequentes in re ipsam essentiam, v. g. omnipotentia Dei, quia est proprie attributum positivum, identificatur cum essentia Dei; & unitas, quia est quasi attributum entis, non distinguitur realiter, sed identificatur, in sententia Patris Vazquez secundum illud positivum, quod addit cum essentia cuius attributum, vel quasi attributum est, & inhominitas in homine, & inhominitas in equo, quia sunt proprietates, & passiones, fluunt vere, & realiter ab essentia: sed ens rationis nec potest identificari cum essentia reali, nec consequi realiter ad essentiam, ut in nostra sententia negatio constitutiva unitatis consequitur ad ens reale, nec potest dimanare tanquam effectus realis ab essentia reali; item non potest identificari, quia impossibile est, quod idem sit ens reale, & rationis. Nec potest consequi, nec fluere realiter, quia quod reale non est, quomodo aliquid realiter potest facere, alias effectus, vel quasi effectus entis rationis esset quid principalius ipso: ergo essentia realis debet habere passiones, & attributa realia, & non rationis.

¹¹ Vergetur, ideo proprietas chimæ, & universalis, ut universalis est, & proprietas hominis, & Dei, ut tales sunt, illa debet esse rationis, & hæc realis, quia proprietas, & attributum, ut ab intrinseco, & immediate conveniunt essentia, sequuntur essentias proprias in gradu essendi; unde proprietas entis rationis, ens rationis est; & proprietas hominis, & Dei, quia sunt essentia realis, est ens reale; sed veritas ut sic sequitur ens ut proprietas, seu attributum: ergo sequitur gradum essendi illius; sed gradus entis ut sic est realis: ergo veritas etiam erit realis, & non rationis.

¹² Præterea, quia attributum est exercitium naturale, & necessarium rei per quod completur ultimo in actu primo ipsa: sed ens rationis non potest esse exercitium naturale, & necessarium entis realis, per quod completur ens reale in suo esse actus primi, quia omne exercitium per modum attributi, & passionis convenit rei immediate à se, ens autem rationis non convenit alicui ipsi intrinsece ex se, sed ab extrinseco in ipso producit, vel quasi producit. Tum etiam, quia ens rationis libere præsuppositivè producit, & non necessario absolute quod non habent attributa, seu proprietates. Minor præcipua patet, quia ens est essentia realis, quæ habet pro attributis cognoscibilitatem, & amabilitatem, nam per has proprietates, & per alias à nihilo, & à chimæa secundario distinguitur, nihilum, & chimæa non sunt amabilia, & si sunt cognoscibilia, non primario sed secundario, & ad similitudinem entis.

¹³ Confirmatur, totum, vel illud ens rationis, quod superaddit enti verum, & quo verum constituitur intrinsece, & essentialiter in suo esse est

ens rationis productum à Deo, vel à creatura: sed neque à Deo, neque à creatura: ergo minime est ens rationis. Prima pars minoris patet, quia in sententia Patris Vazquez, Deus non solum non facit ens rationis, sed neque cognoscit illud. Sed demus, quod Deus faceret ens rationis; omne ens rationis fit per cognitionem falsam (non loquor nunc de sententia Thomistarum, asserentium idem esse ens rationis, ac esse cognitum, quod est denominatio extrinseca, de qua 3. conclus. sed de ente rationis intrinseco, & in sententia Patris Vazquez:) ergo effectus esset à causa opposita sibi, quia verum opponitur falso: ergo si Deus constitueretur ab ente rationis, cum ens rationis sit fictum, & falsum, verum constitueretur à falso, & fictio; unde esset verum, & non verum. Nec ab intellectu creato, quia in illo priori quo creati sunt celi, habebant actualem, & formalem veritatem transcendentalem, & non erat aliqua creatura intellectualis. Itē Deus ab æterno fuit actualiter, & formaliter verus, & ab æterno nulla fuit creatura, quæ fingeret tale ens rationis constitutum Dei ut veri: ergo non erat tale ens rationis, quia ens rationis actuale non potest esse sine actu cognitione fingente tale ens rationis actuale: sed ut diximus, nulla erat tunc actualis creatura, & per consequens nulla erat actualis cognitio fingens ens rationis, nec actuale ens rationis fictum, quia actualiter dependet necessario, & essentialiter ab actuali cognitione; igitur non constitueretur ut verus ab ente rationis, quia impossibile est, quod actu, & formaliter detur constitutum, sine constitutivo formali, & essentiali illius actuali, sicut non potest dari actualiter, & formaliter album, & dextrum, & homo sine humanitate, dexteritate, & albedine, actualiter existentibus, idem enim sine sua essentia, nec esse, nec concipi potest.

Probatur nunc, quod Deus fuerit ab æterno actualiter, & formaliter verus, quia impossibile est quod aliquid exerceat actu munus formalitatis, & quod hoc sit tantum per fundamentum illius, v. g. quod homo intelligat formaliter, & actualiter per solum fundamentum intellectus quod est essentia sine intellectione formali, & intellectu: sed essentia divina ab æterno exercebat actualiter, & formaliter munus obiecti intellectus Divini, quia actu, & formaliter cognoscebatur, & sic formaliter erat cognitum, cuius formalitas est cognoscibilitas, seu veritas, sicut formalitas obiecti voluntatis, & formalitas obiecti appetitus, & sensus sunt bonitas, & amabilitas, appetibilitas, vel sensibilitas: ergo non exercebat hoc munus per fundamentalem, & materiale rationem communem intellectui, & voluntati, nempe per rationem entis, quæ fundamentum est veritatis transcendentalis, quia impossibile est, quod obiectum materiale indifferens ad voluntatem, & ad intellectum exerceat materialiter, & formaliter rationem proprie obiecti intellectus, & quod exercitium potentia intellectivæ formaliter, & actualiter exerceatur circa illud sine formalitate obiecti, sicut impossibile est quod corpus videatur ab oculis per solam entitatem materiale sine formalitate visibilitatis actualiter existente in illo; quia ratio obiectiva formalis, necessario & essentialiter requiritur ad exercitium potentia circa obiectum, ita ut nec per potentiam Dei absolutam, possit esse obiectum potentia sine formalitate illius, quod sic evidenter demonstratur: Omnipotentia

Quæst. I. Quid addat vnitas supra, &c. 391

entia Dei non potest producere chimæram realiter, & non propter aliam rationem, nisi quia illi deficit possibilitas, quæ est ratio formalis potentie productivæ: ergo Deus qui ab æterno actus, & formaliter erat cognitus à sua cognitione actus, & formaliter habebat cognoscibilitatem (alias cognosceretur dum erat non cognoscibilis) quæ idem est ac veritas, cognoscibilitas enim, & veritas sunt ratio formalis obiecti intellectus. Hoc argumentum etiam probat veritatem, seu cognoscibilitatem Dei non esse denominationem extrinsecam in Deo, vt postea probabitur.

Dices veritatem Dei non esse proprie ens rationis: sed explicari per ens rationis.

14 Ergo iam non addit formaliter ens rationis: quid ergo addit supra ens? Dicunt adversarij addere quandam rationem extrinsecam, impropiam, & derivatam secundario à veritate cognitionis.

15 Contra, quia essentia vera, & propria, sicut habet distinctivum à priori propriissimum, & sicut est completa essentialiter per prædicata essentialia, neque impropria, & metaphorica, neque extrinseca, & secundario derivata ab alia, sed primario illi convenientia, sic similiter habet distinctivum à posteriori propriissimum, & completivum in actu primo consequenter, quod nec sit improprium, & metaphoricum, nec derivatum secundario ab alio; sed primario, & per se, quia est proprium illius, de cuius definitione est, vt ait Porphyrius, quod soli, & semper, & conversim prædicetur; unde non convenit alteri secundario, quanto minus primario, & excellentius alteri potest convenire; quod patet diffcurrenti per omnes tam creaturas individuas, & específicas, tam per gradus superiores, quam per ens increatum, v.g. homo vt sic habet risibilitatem pro proprietate animal vt sic sensus inter-nos, vel externos, motum localem ad varias differentias loci, vivens vt sic posse generare sibi simile, corpus vt sic, levitatem vel gravitatem, substantia, & accedens vt sic, inhaerentiam, & subsistentiam constituere primario complere cōstitutum, quæ omnia prædicata, sine aliqua improprietate, & metaphora intrinsece, & non derivata ab alijs secundario, sed primario, & per se illis conveniunt: ergo ens vt sic, quod habet veram, & propriam essentiam, veram, & propria attributa completiva, & distinctiva à priori, & cōpletiva sui à posteriori debet habere, quæ ei proprie, & non extrinsece, neque improprie ab alio derivata conveniant: sed esse verum est proprium intrinsecum attributum illius: ergo non debet esse improprium prædicatum, neque derivatum ab alio secundario, & per metaphoram, alias Christus posset habere pro proprietate esse leonem Iuda, hominem esse arborem inverfam, Spiritum sanctum esse Columbam, quod falsum est, quia essentia vera, & realis ita connectitur cum proprietate, vt destructa proprietate, destruat essentia à qua intrinsece conservatur, & destructo calore in igne, humiditate in aqua, risibilitate in homine, substantia in substantia, destruantur essentia, quarum sunt passionēs, & attributa; sed essentia realis, & vera non conservatur à metaphoris, neque ab improprijs prædicatis, neque à rationibus secundario ab alijs derivatis, neque à denominationibus extrinsecis, quia sicut ipsa natura constituit essentias intrinsecas, &

proprias, & non derivatas ab alijs, ita etiam attributa, & proprietates conservantes essentiam constituit intrinsece non secundario ab alijs derivatas nec metaphoricis rationes.

Dices, quamvis hæc prædicata quoad impositionem vocum sint metaphorica, tamen revera significant quasdam proprietates earum rerum quibus attribuntur, & hoc modo sanitas dicitur proprietas cibi, non quoad formalitatem sanis, sed quoad id quod significatur per illam vocem.

Sed contra cum eximio Doctore, nam hinc saltem recte colligimus sanitatem non esse proprietatem cibi distinctam ab illa, quæ per talem metaphoram declaratur, quod si illa non esset proprietas: sed essentia ipsius cibi, certe sanum non significaret proprietatem, sed essentiam ipsius: sic ergo in præsentia, si verum tantum diceretur de rebus per analogiam, & extrinsecam denominationem à veritate intellectus, interrogatio quid indicetur, vel significetur in ipso ente per hanc metaphoram secundario derivatam, vel habitudinem, aut enim indicatur sola rei entitas, & sic verum non est proprietas entis: sed solum differt ab illo, quod verum metaphorice significat id, quod ens significat cum proprietate, sicut videre non est in prato alia perfectio ab ea, quæ est esse viridem, vel floridum: sed est eadem metaphorice significata. Aut per illam veri appellationem analogam indicatur in ente aliquid ab entitate diversum, saltem vt confusum, & expressum, & de hoc inquirimus, quid sit, & an sit sola denominatio extrinseca, vel solum ipsa metaphora; nam si ita est, non potest esse proprietas entis vt secunda conclusio probabitur, si autem est aliquid præter illam, & metaphoram, quoad id ratio veri intrinseca erit in ente.

Dices cum Patre Vazquez nihil aliud esse quam virtutem intrinsecam, vel esse causam veritatis iudicij.

Sed contra, quia id etiam quod significatur per secundariam rationem seu ipsam metaphoram improprium, & metaphoricum est in ente; ergo adhuc illud significatum non est proprietas entis. Antecedens sic probatur, quia Deus dicitur verus respectu sui, cum à se ipso vere, & proprie cognoscatur, & creatura dicuntur vera respectu Dei, sed neque entitas Dei est propria causa veritatis suæ cognitionis: sed maxime metaphorica, & impropria, quia veritas Dei, cognitio Dei, & ipsa entitas denominata vera, sunt idem realiter, & essentialiter, secundum illud Concilij Lateranensis, quidquid absolute est in Deo, Deus est, sed idem realiter, & essentialiter non potest esse propria causa sui ipsius præcipue in Deo, qui à nemine causatur proprie secundum fidem Catholicam. Sed fortius in veritate creaturarum, quæ etiam vera dicitur respectu cognitionis divinæ: sed non potest dici villo modo quod entitas creaturæ sit causa veritatis divinæ cognitionis propria, quia non est obiectum motivum Dei, nec missivum speciei in mentem divinam: ergo minime est propria causa veritatis divinæ cognitionis, & nihilominus vere dicitur verus Deus, vera creatura: ergo iam non constituitur veritas entis per causalitatem propriam veritatis cognitione divinæ, quia vt probatum est, quod improprium, & metaphoricum est, non potest constituere attributum, seu proprietatem entis.

Secunda

18 Secunda conclusio: veritas non est denominatio extrinseca à cognitione. Hæc est communior sententia, & probatur primo sic, quia vel illa denominatio extrinseca est à cognitione creata, vel increata; non à creata, neque ab increata: ergo à nulla. Minor quoad primam partem sic ostenditur, quia si Deus denominaretur verus à cognitione increata, verum non esset extrinsecum, sed intrinsecum, quod est contra ipsos: ergo non ab increata, &c. Probatur antecedens, quia tunc aliqua denominatio non est extrinseca, sed intrinseca, quando forma est intrinseca subiecto denominato, ut album, animal, & homo: sed cognitio divina vera, non est quomodocunque intrinseca, sed essentialiter, & de essentia entis divini per vos, quia Deus essentialiter est vivens intellectualiter non in actu primo, sed in actu secundo, quia actus est intellectio vera: ergo intellectio divina non potest esse extrinseca respectu Dei, sicut homo non est extrinsece rationalis, quia rationalitas est de intrinseca essentia hominis: ergo Deus verus, qui intrinsece constituitur à sua cognitione vera, quæ est de essentia Dei, non est extrinsece, sed intrinsece essentialiter verus.

19 Nec constituitur à cognitione creata actuali, vel possibili: ergo verum ut verum, non est denominatio extrinseca à cognitione, non ab actuali cognitione creata, quia ab æterno fuit Deus formaliter, & actualiter verus, ut supra probatum manet, & non erat tunc actualis cognitio creata: ergo ab illa non constituebatur, quia impossibile est quod aliquid constituitur à forma quæ non est, nec à possibili, quia obiectum specificativum est prius cognitione specificata: sed Deus ut verus est obiectum specificativum cognitionis possibilis: ergo Deus ut verus est prior quam cognitio possibilis: ergo non constituitur ab illa in esse veri. Hæc consequentia sic probatur, quia quod est prius non dependet in sua constitutione à posteriori, nec constituitur ab illo, quia prius ut prius ante posterius est: sed ut prius habet esse: ergo est ens constitutum ut sic, ergo non constituitur à posteriori, quia quod supponitur iam non accipit esse postea, quod autem sit prius sic probatur, quia quod specificativum est causa, & constitutum est forma extrinseca respectu specificati; unde si specificativum est, prius est, quia omnis causa prior est suo effectui; unde si specificativum iterum constituitur ab specificato in genere causæ formalis extrinsece, idem à se ipso constitueretur in eodem genere causæ, quia quod est causa causæ est causa causati, quod est maximum absurdum: ergo Deus ut verus non constituitur in suo esse à cognitione specificata à se ipso; item in eodem genere causæ non potest esse aliquid prius, & posterius respectu eiusdem, v. g. anima rationalis est forma materiæ primæ vel hominis, & sic impossibile est quod homo, & materia prima sint forma animæ, & Deus est finis ultimus creaturarum, & sic impossibile est quod creaturæ sint finis ultimus Dei, quod etiam metaphysice verum est in specificato, & specificante: sed Deus ut verus specificat cognitionem veram, & est prior in genere causæ formalis extrinsece ipsa cognitione possibilis: ergo ipsa cognitio possibilis non potest iterum esse prior in esse causæ formalis extrinsece respectu Dei ut veri, & cognoscibilis; quod autem Deus sit prior, & causa cognitionis possibilis specificativæ, hoc est quatenus specifi-

cat illam, patet manifeste, quia possibilitas cognitionis ex eo quod sit perceptio possibilis alius, petit essentialiter obiectum verum, sicut amor possibilis essentialiter est ad aliquod obiectum bonum, & sic intellectio possibilis distinguitur essentialiter ab amore possibili, & à visione possibili, quia visio possibilis respicit obiectum visibile, & amor possibilis obiectum bonum, ita similiter intellectio obiectum verum seu intelligibile in ordine ad quod habeat totum suum esse essentialiter: sed obiectum specificans est prius ipso specificato, & actu tendente ad illud: ergo Deus ut verus est prior cognitione possibili.

Dices intellectionem possibilem specificari à vero possibili, non à vero actuali.

Sed contra, quia in divinis, ut est axioma certum in fide sumptum ex Divo August. de Trinit. idem est posse esse, & esse, v. g. in Deo, idem est posse esse iustum, & esse iustum actualiter, posse esse trinum, & esse trinum actualiter: ergo similiter idem omnino est in Deo posse esse verum, & esse verum actualiter: sed per vos specificat Deus in quantum potest esse verus: ergo specificat ipse in quantum actualiter verus, & in quantum ipso ipsissima veritas actualis est, seu actualis intelligibilitas: ergo actualis intelligibilitas est prior intellectione possibili: ergo non est intelligibilis ab ipsa intellectione.

Præterea, quia ipsa entitas possibilis ut possibilis, non est possibiliter vera, sed actualiter, id est actualiter cognoscibilis, siquidem de facto actualiter cognoscitur à Deo: ergo si possibilis veritas specificat, etiam specificabit ipsa actualis intelligibilitas.

21 Torum hoc confirmatur, veritas est capacitas in obiecto ut causet verum iudicium sui, vel est capacitas ut cognitio conformetur cum illo: sed hoc est aliquid intrinsecum in obiecto: ergo veritas est aliquid intrinsecum, & non extrinsecum in obiecto. Maior datur ab adversariis, quia in ente datur illa capacitas quæ est conceptus secundarius entis, & est necessario connexa cum ente: ergo est attributum entis: sed non est aliud præter veritatem: ergo est veritas. Probatur minor præcipua, illud est in obiecto capacitas, ratione cuius obiectum habet aptitudinem, ut cognoscatur; sed id ratione cuius obiectum habet aptitudinem ut cognoscatur est ipsa entitas intrinseca obiecti: ergo hæc capacitas est aliquid intrinsecum in obiecto. Maior est certa, imo est definitio ipsius capacitatis. Probatur minor, illud est ratio cuius obiectum habet aptitudinem ut cognoscatur ut radix, ratione cuius obiectum cognoscitur actualiter, & terminat cognitionem actualem: sed obiectum ratione propriæ entitatis cognoscitur, & terminat actualiter cognitionem: ergo ratione propriæ entitatis obiectum habet aptitudinem ut cognoscatur, &c. Maior meo videri est evidens, quia id ratione cuius actualiter cognoscitur obiectum potest cognosci ab intellectu, & potest se habere in ordine ad cognitionem non exercitam, & sub illa formalitate potest imponi aliquod nomen: sed non est aliud nomen aptius quam intelligibilitas, aptitudo vel capacitas in obiecto ut cognoscatur: ergo id ratione cuius actualiter cognoscitur obiectum, & ratione cuius actualiter cognoscitur obiectum, est terminat cognitionem, est ratione cuius obiectum habet aptitudinem ut cognoscatur. Minor etiam est evidens, quia illud est ratio cuius obiectum terminat actualiter cognitionem, quod exprimitur,

Quæst. I. Quid addat veritas supra ens. 393

exprimitur, & repræsentatur per cognitionem: sed per cognitionem repræsentatur propria entitas rei: ergo propria entitas rei est ratione cuius cognoscitur obiectum actualiter, & terminat cognitionem; unde ratione propria entitatis debet habere capacitatem ut terminet cognitionem, & intelligatur ab illa, ita ut denominatio intelligibilis incipiat ab ipsa, licet sit in ordine ad cognitionem relatione secundum dici, non autem reali, quia obiectum non refertur ad cognitionem: sed potius est contra cognitio ad obiectum refertur. Ex quo manifeste colligitur, illam denominationem intelligibilis nullo modo esse extrinsecam ab intellectu: sed potius esse intrinsecam in ipso obiecto, quia denominatio extrinseca non incipit ab ipso denominato, nec originem habet ab ipso: sed potius à forma extrinseca, ut videre est in pariete viso, & in arbore dextera, quorum denominationes non incipiunt ab ipsis denominatis: sed potius à formis dominantibus.

23 Confirmatur, propria entitas hominis est animal rationale; sed animal rationale cognoscitur per cognitionem actualem: ergo propria entitas hominis cognoscitur per cognitionem actualem hominis: ergo propria entitas hominis, est quæ terminat cognitionem, ut patet ex nuper dictis, & videtur ac declaratur, ad cuius claritatem summo cognitionem veram hominis in quantum distinguitur à cognitione falsa illius, quia in tantum cognitio est vera, in quantum repræsentat rem ut est in se, id est in quantum cognoscitur rem, & entitatem illius, quia ab eo quod res est vel non est propositio dicitur vera vel falsa, v. g. ideo hæc propositio est vera, Petrus est homo, quia repræsentat illud quod obiectum habet in se: ergo illud quod repræsentatur per cognitionem, est entitas ipsa obiecti: ergo illud ratione cuius est cognoscibile obiectum, & ratione cuius datur cognoscibilitas in ipso est entitas ipsius obiecti. Patet evidenter consequentia, illud est cognoscibile in obiecto, quod cognoscitur actualiter; sed actualiter cognoscitur ipsa entitas obiecti: ergo ipsa entitas obiecti est cognoscibilis: ergo cognoscibilitas, seu veritas non est denominatio extrinseca in obiecto: sed potius intrinseca secundo convenienti, quasi orta ab eo.

24 Dices quod licet cognoscibilitas in obiecto sit denominatio intrinseca, nihilominus veritas significat aliquid extrinsecum, sicut licet virtus causandi sanitatem animalis in medicina sit intrinseca, nihilominus id quod significatur hoc nomine *sanitas*, in medicina, est aliquid extrinsecum.

25 Sed contra: ergo illa cognoscibilitas, quæ est propria entis realis, est attributum illius distinctum à denominatione extrinseca. Patet consequentia, illud est attributum, quod est conceptus secundarius convenienti necessario omni enti reali ex vi propriae essentiae, ac proinde ex vi conceptus intrinseci primarij: sed ita se habet cognoscibilitas illa entis realis: ergo est attributum illius. Maior probata est iam supra, & in primis convenit omni enti reali, quod sit cognoscibile ut obiectum per se, & in ordine ad aliquam cognitionem, ut obiectum primarium, quod non convenit entibus rationis, quæ cognoscuntur per accidens, & semper ut obiecta secundaria. Deinde probatur, quod ille sit conceptus

secundarius, ille est conceptus secundarius sine quo potest cognosci tota essentia rei: sed sine cognoscibilitate potest cognosci tota essentia rei: ergo cognoscibilitas est conceptus secundarius entis. Maior est definitio conceptus secundarij, imò solum sufficit ut sit attributum, & ut possit cognosci ut radix alterius, & sic ens concipitur ut radix intelligibilitatis: ergo concipitur ut conceptus primarius, & intelligibilitas ut conceptus secundarius. Probatur minor. Tunc concipitur tota essentia entis, quando concipitur non repugnantia ad existendum: sed hæc concipitur non cognita intelligibilitate entis: ergo potest cognosci ens non cognita intelligibilitate illius. Probatur minor, ut concipiat intelligibilitas entis debet concipi in ordine ad intellectionem vel intellectum: sed cognita non repugnantia ad existendum non concipitur necessario ens in ordine ad intellectionem, ut ipsa experientia patet: ergo potest cognosci ens, non cognita intelligibilitate illius.

Clarius probatur tota conclusio: omne id quod convenit alicui ad intrinsecum, & ex vi principiorum intrinsecorum, debet convenire intrinsece rei cui convenit, & non ab extrinseco: sed omnis proprietas seu attributum rei convenit ipsi ab intrinseco, & ex vi propriae essentiae, & prædicatorum essentialium, quæ sunt principia intrinseca rei, & constitutionis illius: ergo omnis proprietas seu attributum convenit intrinsece rei, & non ab extrinseco: sed intelligibilitas aut veritas est attributum, & proprietas entis: ergo convenit illi ab intrinseco, & non ab extrinseco: atqui omnis denominatio extrinseca provenit rei ab extrinseco: ergo nulla denominatio extrinseca potest esse intelligibilitas aut veritas; quæ est passio, aut proprietas entis.

Minor illa prima sic probatur, quia essentia est radix proprietatis: sed nihil est radix illius quod est omnino sibi extrinsecum, & quod penitus advenit illi ab extrinseco, sed potius eius quod convenit ab intrinseco: ergo omnis proprietas debet convenire rei ab intrinseco, & ideo non assignantur tanquam proprietates innumeræ, & quam plures denominationes extrinsecæ, ut v. g. nullus potest assignare tanquam proprietatem parietis, quod sit dexter vel sinister, neque prati proprietas potest assignari risus, quia est denominatio extrinseca, & ratio videtur manifesta, quia denominationes extrinsecæ possunt in infinitum multiplicari, quia possunt in infinitum, & indeterminate multiplicari formæ extrinsecæ denominantes; atqui proprietates rei non sunt infinitæ, neque indeterminatæ, sed potius determinatæ, sicut ipsa essentia rei, cum qua proportionem habent, est determinata, & inductione hoc totum patet, quia omnes proprietates quæ assignantur gradibus metaphysicis, sunt intrinsecæ, & non extrinsecæ: atqui ens est gradus metaphysicus: ergo proprietates eius sunt intrinsecæ, & non extrinsecæ: consequentia est certa, quia non est assignabile discrimen, quare solum ens, & non reliqui gradus habeant pro proprietatibus denominationes extrinsecas, & ex alio capite, ratio supra posita cogit ad asserendum proprietatem rei debere esse intrinsecam, & non extrinsecam. Maior illa sic patet, quia substantia habet pro proprietate subsistentiam aut perfectam, corpus quantitatem, vivens potentiam generativam, nu-

D d d tritivam,

tritivam, &c. animal sensus, & potentiam progres-
sivam; homo visibilitatem; sed hæc omnes pro-
prietates sunt intrinsecæ, & non extrinsecæ: ergo
proprietates debite gradibus metaphysicis non
sunt extrinsecæ: sed intrinsecæ: ergo etiam ens
debet habere proprietatem intrinsecam, &
non extrinsecam, quia tota ratio propter quam
in cæteris gradibus proprietates sunt intrinse-
cæ, est quia omnis proprietas quatenus talis, quia
est immediatum exercitium essentia, & quasi vl-
tima perfectio illius, proveniens ab essentia tan-
quam à radice, debet convenire illi à principijs
intrinsecis: sed tota hæc ratio militat in ente, si-
cut in reliquis gradibus, ex eo quod ens est vera
essentia, & proprietates illius sunt vera attributa:
ergo sicut in reliquis gradibus metaphysicis
proprietates sunt intrinsecæ, & non extrinsecæ,
pari etiam ratione in ente, proprietates erunt in-
trinsecæ, & non extrinsecæ.

28 Vegetur ab impugnatione sententiæ Patris
Hurtado, quia capacitas in obiectis vt terminent
actus potentialium, quorum sunt obiecta, est ali-
quid intrinsecum in ipsis obiectis; sed intelligi-
bilitas, aut veritas transcendentalis, est capacitas
logica in ente vt terminet actus intellectus, cu-
ius ens est obiectum: ergo intelligibilitas est ali-
quid intrinsecum in ente. Probat maior, illud
est intrinsecum in aliquo ente, quo mutato mu-
tatur ipsum ens: sed mutata in aliquo obiecto ca-
pacitate ad terminandum actus potentia, muta-
tur ipsum obiectum: ergo illa capacitas est in-
trinseca in obiecto. Maior est sententia Patris
Hurtado, & ratio illius est evidens, quia ex mu-
tatione alicuius extrinseci nullo modo mutatur
res, ideo enim Deus est immutabilis, quia omnia
pertinentia ad ipsum, quæ possunt mutari sunt
extrinseca respectu illius, & nihil intrinsecum il-
lius est mutabile. Probat minor, si in colore
mutaretur visibilitas in audibilitatem, color non
esset color, sed sonus: ergo color mutaretur essen-
tialiter si tolleretur ab eo ratio visibilitatis. An-
tecedens est evidens, quia omne illud quod est au-
dibile, est sonus: ergo si color esset audibilis, esset
sonus, ac proinde si color esset audibilis, mutare-
tur intrinsece, & essentialiter. Patet evidenter vl-
tima consequentia, si per possibile aut impossi-
bile una species transiret in aliam, mutaretur essen-
tialiter: sed si color esset audibilis transiret in
aliam speciem: ergo mutaretur intrinsece, & es-
sentialiter. Maior est evidens, si enim homo fieret
equus, quæ maior mutatio esse posset: Minor etiam
est evidens, quia sonus, & color sunt species qua-
litate essentialiter distinctæ: ergo si color muta-
retur in sonum, mutaretur in aliam speciem es-
sentialiter distinctam: sed si color esset audibilis,
mutaretur in sonum: ergo, &c.

29 Confirmatur, si Deus fieret visibilis oculis
corporeis, non esset Deus: ergo mutaretur essen-
tialiter. Probat antecedens, quia si Deus esset
visibilis, esset corpus lucidum, & coloratum; sed
corpus non est Deus, quia essentialiter est creatu-
ra: ergo si Deus esset visibilis oculis corporeis,
non esset Deus. Maior est sententia communis
omnium Theologorum, ideo enim Deus non po-
test videri oculis corporeis, quia non est color, ne-
que corpus; Minor etiam est certissima in nostra
fide. Præterea Deus amitteret attributum invisi-
bilitatis: ergo mutaretur, & non esset Deus: ergo
ex eo quod aliquod obiectum amittat aliquam
capacitatem antiquam, & pristinam, vel acquirit

novam, quam non habebat, mutatur intrinsece:
ergo capacitas illa in obiecto est aliquid intrin-
secum; sed intelligibilitas in ente est capacitas
obiectiva: ergo intelligibilitas in ente, est aliquid
intrinsecum: sed secundum Hurtadum intelligi-
bilitas in ente est ipsa veritas transcendentalis:
ergo veritas transcendentalis in ente est aliquid
intrinsecum, & non extrinseca denominatio.

Declaratur amplius, quia ex eo quod Deus 30
transeat de amato in non amatum, de cognito in
non cognitum, non mutatur denominationes ex-
trinsecæ, & amatum sunt denominationes ex-
trinsecæ: atqui si Deus transiret de bono seu ama-
bili in malum, & de vero seu intelligibili in non
verum, vt probatum manet, mutaretur intrinsece
& destrueretur Deus, vt probatum manet: ergo in-
telligibilitas, veritas, & bonitas non sunt deno-
minationes extrinsecæ, sed intrinsecæ. Maior est
certa secundum principia fidei, quia Deus de fa-
cto est omnino intrinsece immutabilis secundum
illud: *Ego sum Deus, & non moror*, & nihilominus
quotidie transiit Deus de amato in non ama-
tum à creatura: ergo talis transitus non est mu-
tatio.

Confirmatur totum hoc, quia sicut se habet 31
possibile respectu productionis, ita se habet cog-
noscibile respectu cognitionis, in hoc quod sicut
productio est actus potentia productiva habentis
pro obiecto possibile, ita cognitio est actus
habentis pro obiecto cognoscibile, & sicut pos-
sibile est potentia passiva logica, cui correspon-
det productivum active media productione tan-
quam exercitio, ita cognoscibile est potentia pas-
siva logica, quia est quod potest cognosci sicut
possibile quod potest produci, & illi correspon-
det cognoscitivum active, media cognitione tan-
quam exercitio, sed possibile non est denomina-
tum extrinsece à productione Dei, vt ipse P. Hur-
tado ait in *metaph. disp. 8. sect. 2. §. Dico quinto*: ergo cog-
noscibile seu verum non erit denominatum ex-
trinsecum à cognitione possibili, quia non est
maior ratio unius quam alterius; & etiam, quia
ideo possibile non denominatur à productione,
quia productio habet pro obiecto ipsum possibi-
le, & obiectum est ante actum, quia specificati-
vum est prius specificato, in quo priori iam spe-
cificativum consistit, & habet totum suum esse,
in quo nec esse nec intelligi potest posterius, vt
ab eo id quod est prius constitueretur; sed etiam
cognoscibile est obiectum cognitionis possibilis,
& specificativum illius: ergo est prius ipsa cog-
nitione, ac proinde non constitueretur à cog-
nitione, quia quod est prius non dependet à poste-
riori, nam hæc est vera causalitas, non ideo cog-
noscibile est tale, quia terminat cognitionem si-
ve actualem sive possibilem: sed potius ideo cog-
nitio intellectiva est talis, & non amor, quia ter-
minatur vt ad obiectum formale ad cognoscibi-
le, & non ad visibile, & amabile formaliter: ergo
iterum non denominatur cognoscibile extrin-
sece nec habet esse à cognitione, quia daretur
circulus vitiosus supra dictus, imo potius si ali-
quod posset dici consequenter in sententia P.
Hur., (quod non dicitur) est quod sicut possibile
denominatur non à productione, sed à potentia
activa Dei, sic cognoscibile non à cognitione, sed
dici propter rationem dictam, quia etiam cognos-
cibile est obiectum potentia cognoscitiva, quia
idem obiectum habet potentia, & actus: unde si
prius,

prius, est respectu cognitionis obiectum, & ideo non denominatur ab illa etiam non denominabitur, nec constituitur à potentia.

32 Illustratur amplius, quia in omnipotentia passiva, ut ait Pater Hurtado, Logica, v.g. possibile, & informabile in materia prima, praeter denominationem extrinsecam possibile à potentia, informabilis à forma, datur intrinseca ratio denominationis extrinsecae, v.g. in possibili aptitudo intrinseca ad existendum, quae denominatur extrinsecae possibile, & in materia prima datur receptivum formae intrinsecae, quod denominatur informabile, & ratio est, quia denominatio extrinseca sola, propter suam imperfectionem non potest in se, & per se existere, nisi in intrinseco proprio, & sibi proportionato subiecto; denominatio enim extrinsecae dexteritatis, non potest esse in se ipsa; sed in subiecto intrinseco, v.g. in pariete: ergo, similiter licet cognoscibile sit denominatio extrinsecae, dabitur in illo obiecto, ut vero aliquid intrinsecum, quod fundat illam denominationem, & sit subiectum proprium, & proportionatum illi; unde cum inter extrinsecum, & intrinsecum, perfectius sit intrinsecum, & magis aptum ut sit passio vel attributum, quia passio, vel attributum semper convenit intrinsecae; & ab intrinseco essentiae, ut supra probatum manet; inde est ut attributum potius sit perfectio illa intrinseca, quam extrinseca denominatio, ut videre est in omni ente, tam creato, quam increato, tam in gradu entis, quam in ordine ipsius, in quibus omnibus si datur denominatio extrinsecae, & ratio intrinsecae, haec potius quam illa attributum, vel passio est, v.g. risibilis potest concipi, ut extrinsecae denominatione à cognitione Dei, & illa virtus in medicamento ad sanandum, quae intrinseca est respectu medicamenti, & tandem quaecunque realis proprietas, seu attributum, quatenus denominatur à nominibus intellectus extrinsecae denominationes sunt, de quibus nullus rationalis potest dicere, quod sunt attributa, seu passiones, non ut sunt rationes intrinsecae; sed ut sunt denominationes extrinsecae propter rationem dictam: ergo in vero illud erit attributum, seu passio quod non fuerit denominatio extrinsecae: sed ratio intrinseca fundans proportionate, & proprie illam denominationem, sicut virtus in medicamento ad sanandum, & non denominatio extrinsecae sani, est proprietas medicamenti, quod etiam contingit in essentia alicuius rei, quae maxime proportionatur cum attributis, v.g. in essentia materiae primae, in qua datur duplex ratio; alia informabilis à forma, quae est denominatio extrinsecae; alia susceptivum nimirum formae, inter quae illa prima non est essentia, sed haec ratio secunda, quae intrinsecae convenit materiae, & magis proportionata est ad essentiam, quam denominatio extrinsecae: ergo similiter verum, ut dictum est.

33 Secundo, quia si cognoscibile esset denominatio extrinsecae à cognitione, daretur processus in infinitum realiter: sed realiter non est concedendus: ergo. Maior sic probatur, quia illud cognoscibile denominatur à cognitione possibili, quae est etiam denominatio extrinsecae, quia in sententia huius Auctoris omne possibile est extrinsecae denominatio. Iterum illa cognitio possibilis denominatur à potentia creata cognoscitiva, quia ut actus vitalis, à potentia cuius actus vitalis est, debet denominari, quia à sola omnipotentia Dei non potest, cum ipsa potentia sola non possit
R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

concurrere propter vitalitatem actus; ergo ab intellectu creato possibili, quia ab actuali non potest, cum ab aeterno fuerit actualiter possibilis cognitio, & non fuerit ab aeterno actualiter intellectus creatus à quo actu denominaretur possibilis: sed iterum illa est extrinsecae denominatio, quia est possibilis ab anima possibili: ergo si prima possibilitas cognitionis à possibilitate intellectus est, possibilitas huius ab alia possibilitate extrinsecae, & haec ab alia; & illa ab alia erit iterum, quia non est maior ratio vnius possibilitatis, quam alterius; & sic procederet in infinitum.

34 Praeterea; quia una denominatio extrinsecae non denominat extrinsecae aliam: sed intrinsecae entitas formae denominat extrinsecae subiectum in quo non est intrinsecae, ita ut haec denominatio extrinsecae, non incipiat ab alia denominatione extrinsecae, v.g. visum, dextrum, creator, & cognitum, quae sunt denominationes extrinsecae, non denominant alia extrinsecae, ne habeatur in infinitum, sed visio, dexteritas, amor, creatio, quae sunt entitates intrinsecae, denominant subiectum, in quo non sunt extrinsecae, sed ita ut postea istud extrinsecum non denominet aliud etiam extrinsecae. Tunc sic, sed possibilitas per te cognitionis, est denominatio extrinsecae: ergo non potest denominare extrinsecae cognoscibile, quod sic efficacius urgetur, nam unaquaeque res seipsa est ens formaliter, & non alio superaddito posteriori: ergo cognoscibile, ut cognoscibile est tale, & non per cognitionem extrinsecam posteriorem superadditam sibi.

35 Nec dici potest per cognitionem illam possibilem, quae in suo esse possibili à se, est dando se obiecto extrinsecae constitui in esse cognoscibilis formaliter, quia si hoc esset verum, non solum haec, quae de facto sunt cognoscibilia, sed etiam incognoscibilia dando se illis cognoscibilia redderet; unde non posset assignari ratio disparitatis, cur illa potius, quam haec reddantur intelligibilia.

36 Dices, quia invenit repugnantiam in non cognoscibilibus, quam non invenit in cognoscibilibus, quae repugnantia est, ut cognoscatur, & haec est à se, ut per talem cognitionem denominetur. Sed contra, quia haec non repugnantia est cognoscibilitas: ergo à se formaliter cognoscibilis est res, & vera.

37 Explicatur hoc, sumamus rem cognoscibilem, quam concipimus secluso quovis aliquo alio superaddito, sumamus, inquam non repugnantiam illam ut cognoscatur, vel ex vi illius non repugnantiae, cognosci potest ab intellectu, vel non; praecipue cum sit potentia logica; si potest: ergo secluso quovis alio cognoscibilis est; si non potest: ergo de se repugnat: unde cum non repugnantia ad cognoscendum dabitur repugnantia ad idem, & etiam quia illa non repugnantia, seu repugnantia intelligitur, siquidem de illa loquimur, & dicimus cognoscitive quod est non intelligibilis; ex quo sequitur quod sit cognoscibilis, & non cognoscibilis; cognoscibilis, quia actu cognoscitur; non cognoscibilis, quia sic assertitur ab Adversariis.

38 Urgetur, si obiectum intellectus non supponitur de se non repugnans cognosci, & cognoscibile, sed constituitur in esse cognoscibilis extrinsecae, quaecunque cognitio naturalis poterit extendi etiam ad obiectum supernaturale, quod est
D d d 2 maximum

maximum absurdum: ergo non constituitur à cognitione. Sequela illa sic probatur, quia si propter aliquam rationem non se posset extendere, maxime quia supernaturalia non sunt obiectum cognitionis naturalis, hoc est, quia repugnant cognosci ab illa: ergo cetera ideo cognoscuntur & sunt cognoscibilia, quia ex se non repugnant, ut supernaturalia cognosci, & esse obiectum cognitionis; unde ab intrinseco habebunt illam non repugnantiam, sicut supernaturalia habent repugnantiam: sed illa non repugnantia, ut terminet cognitionem, est cognoscibilitas, sicut repugnantia ut non terminet est non cognoscibilitas: ergo de se est cognoscibile obiectum cognitionis ante cognitionem, ut supernaturalia est non cognoscibile, & repugnat cognosci, ita ut illa repugnantia non proveniat à cognitione; unde etiam è contra non repugnantia non provenit etiam à cognitione, alias si ab ipsa cognitione proveniret, de se esset repugnans pro illo priori, quo supponitur ante cognitionem, siquidem pro illo priori, & de se non erat non repugnans, cum non repugnans non reddatur à cognitione, sicut quia corpus sit calidum à calore de se, non calidum est, & sic ante calorem est in termino contradictorio negativo; ex quo sequitur quod si illud obiectum repugnans de se à cognitione constituitur in esse non repugnans, & tollitur illa repugnantia, etiam repugnantia supernaturalis obiecti posset tolli, & reddi non repugnantia à cognitione, & sic esset obiectum cognitionis naturalis, quia non est maior ratio quare possit una repugnantia reddi non repugnantia, & alia non possit, sicut etiam si visio, vel amor illud quod ex se non est amabile, & visibile, redderent visibile, & amabile, quodcumque redderent amabile, &c. unde sonus posset esse obiectum visus, & spirituale, & malum, ut tale obiectum amoris, v. g. quia res constituitur in esse dexteri à dexteritate extrinseca, omnia aequaliter, sive sint spiritalia, sive corporea, sive supernaturalia, dum tamen à dexteris sint aequaliter denominantur, & constituuntur in esse dexteri: ergo similiter si obiectum, quod de se non est cognoscibile redditur cognoscibile à cognitione, quodcumque etiam non cognoscibile, & repugnans reddetur cognoscibile. Præterea, quia certum est, vnam entitatem esse perfectius, & clarius cognoscibilem, seu veram, quam aliam, v. g. principia sunt clariora, & magis vera ac cognoscibilia conclusionibus, non veritate formali; sed veritate transcendentali, & etiam Deus secundum perfectius, & clarius cognoscibilis est, quia attributum excedit eo modo, quo excedit essentia saltem ratione differentiarum, & ideo Deus manifestissimum cognoscibile naturæ vocatur ab Aristotele; sed si à cognitione extrinsece denominarentur, cum cognitio ut sic non sit magis perfecta in se respectu huius quam illius, & hoc sive sit etiam cognitio increata Dei, quæ eadem indivisibilis respectu omnium est, necessario aequaliter denominantur obiecta cognoscibilia, sicut quia homo, lapis, postis, & arbor denominantur extrinsece à dexteritate brachij, non datur inter illa excessus perfectionis in esse dextri, & quod magis mirandum est, nec ens reale poterit excedere ens rationis, quia ab eadem indivisibili forma denominantur cognoscibilia; unde eodem modo recipiunt effectum formale, sicut v. g. eodem modo denominantur entia rationis abstracta, ac entia

realia, quia in denominationibus extrinsecis nihil interest quod æquantur ens reale, & rationis.

Tertia conclusio; veritas transcendentalis non 39 est relatio prædicamentalis realis, nec respectu entis ut sic, nec respectu creaturatum. Hæc sententia quia est expressa Divi Thomæ, & Aristotelis, ubique de hac re loquuntur, non est oneranda locis ipsorum.

Prima pars probatur breviter, quia ens ut sic 40 non potest dicere relationem prædicamentalem formaliter: sed nihilominus est verum formaliter: ergo veritas entis ut sic non est relatio; minor, & consequentia parent. Maior sic probatur, quia inter relatum prædicamentalem, & terminum, debet dari distinctio realis, quod sæpe ex oppositione relativa reali, tam in metaphysica, quam in logica satis probatum manet, & admittitur ab adversariis: sed ens ut sic, non habet aliquem terminum realiter distinctum à se: ergo non dicit relationem. Minor probatur, quia ens potest comparari, vel cum suo contradictorio, scilicet puro nihilo, & respectu huius non datur relatio prædicamentalis realis, quia ut est axioma certum, huius non datur relatio prædicamentalis, nisi inter terminos realiter, & positive existentes, quod magis videtur in hac relatione, quæ non est ad nihil: sed ad intellectum, vel creatum vel increatum; vel potest comparari cum suis inferioribus, à quibus, ut probatum manet, nec realiter, nec formaliter ex natura rei distinguitur, unde non est capax talis relationis respectu illorum.

Secundo, quia illud quod convenit realiter superiori, debet convenire cuicumque contento sub illo, secundum illud, dici de omni, &c. ut supra probatum manet sæpe: sed relatio prædicamentalis realis, quia est accidens modale ex natura rei distinctum à fundamento, ut latissime probatum manet in Logica, non potest convenire Deo, quia est unum ex contentis sub ente ut sic, & vero, quia quidquid in Deo est positive Deus est, & nihilominus Deus est verus formaliter ut testatur fides catholica; *Deum verum, de Deo vero*, in Symbolo Nicæno, ergo veritas entis ut sic non est relatio prædicamentalis realis.

Confirmatur, quia etiam si non sit relatio distincta ex natura rei à fundamento, nihilominus petit terminum distinctum à parte rei à fundamento, ita ut hoc sine tergiversatione ab adversariis concedatur: sed idea Divina, & intellectus Divinus, & ipsa divinitas seu personalitas divina habent veritatem realem, & veritas consistit in relatione prædicamentali ad intellectum divinum: ergo iam intellectus Divinus, & idea Divina distinguuntur realiter à se ipsis, quod est chimæricum, & si non distinguuntur, non consistit veritas in relatione prædicamentali ad ideam divinam, & intellectum.

Deinde, quia nostra fides non recognoscit in 41 divinis nisi quatuor relationes reales Spiritus ad Patrem, & Filium, & Spiritus sancti, ita ut nulla alia relatio, nec similitudo, nec diversitas debeat à Catholicis concedi; sed præcipue inter absoluta, & inter illa, quæ non distinguuntur realiter inter se: sed Divinitas, & personalitates realiter inter se: sed Divinitas habent veritatem intellectualem, & nihilominus habent veritatem transcendentali: ergo veritas non consistit in relatione reali ad intellectum Divinum, quia iam daretur inter vera in Divinis, & intellectum Divinum

Quaest. I. Quid addat veritas supra, &c. 397

vinum distinctio realis, secundum illud axioma, in Divinis omnia sunt vnum, ubi non obviat relationis oppositio.

Deinde etiam Deus ab aeterno fuit verus transcendentaliter: sed ab aeterno Deus nullam habuit relationem praedicamentalem: ergo Deus non est verus per relationem praedicamentalem. Probat minor, nullus fuit ab aeterno terminus actualiter existens extra Deum: ergo non fuit actualiter in Deo ab aeterno relatio praedicamentalis. Antecedens est de fide, consequentia est manifesta, quia omnis relatio praedicamentalis petit terminum actualiter existentem, & distinctum a subiecto relationis: sed ab aeterno nullus fuit terminus actualiter existens, & distinctus a Deo: ergo ab aeterno nulla fuit in Deo relatio praedicamentalis.

Secunda pars nostrae conclusionis sic probatur, quia ens creatum ut sic, non solum est verum respectu intellectus Divini, sed etiam respectu creati: sed respectu intellectus creati non potest dici relationem praedicamentalem: ergo nec respectu intellectus increati potest veritas entis creati ut sic, esse relatio praedicamentalis: haec consequentia omnino patet, quia conceptus veritatis, ut sic creati est unus indivisibilis, unde vno constitutivo, vel eiusdem rationis debet constitui respectu omnium, & non vno respectu unius, & distincto respectu alterius, veritas enim in sententia adversariorum non constituitur in divisione a respectu Dei, & in divisione in se, vel relatione respectu creaturam, & homo non est animal rationale comparatus cum Deo, & animal inanimabile comparatum cum creaturis, & Pater non constituitur relatione paternitatis respectu unius filii, & relatione similitudinis, seu negatione illius respectu alterius, & ratio a priori evidens est, quia essentia, & constitutum essentiale est idem invariabile, & adaequate sumptum est vnum respectu cuiuscunque; ergo si respectu intellectus creati, licet sit verum ens creatum non constituitur per relationem praedicamentalem, nec respectu intellectus increati. Maior praecipua sic demonstratur, quia intellectus creatus, & intellectio creata terminantur formalissime ad ens creatum, ut in se est, & cum veritate, v.g. intellectus Angeli, ut sine dubitatione, aut tergiversatione procedatur, quia intellectus beati, & Angeli cognoscunt intuitive, & vere, & proprium obiectum ens creatum: sed obiectum specificativum, & terminativum cognitionis est intelligibile, & verum formaliter transcendentale, sicut obiectum amoris est amabile, obiectum visus visibile, & obiectum appetitus appetibile, ratio enim quare intellectio non est amor est, quia est tendentia formalis in verum ut verum: ergo ens creatum, siquidem est obiectum, non solum intellectus Divini: sed etiam intellectus creati proprium specificativum, & distinctivum extrinsecus illius a voluntate, & a potentia visiva, vel a visu non solum erit verum formaliter, & habebit veritatem, quae est ratio formalis, sine qua nec terminare, nec specificare potest obiectum actus tendentis in illud, respectu intellectus increati: sed etiam respectu intellectus creati.

Confirmatur illa maior, quia non solum est capax seu non repugnat, & habet aptitudinem ens creatum, ut cognoscatur ab intellectu increato: sed etiam a creato, siquidem ut in se est cognoscitur ab illo, quia si non haberet capacita-

tem, ut cognoscatur, non posset cognosci a creatura, sicut quia chimara non habet capacitatem ut producat a Deo, non producit: sed habere illam capacitatem ut cognoscatur ut in se est, est veritas, seu cognoscibilitas, sicut amabilitas, & visibilitas sunt capacitates ut amentur, & videantur, & possibilitas capacitatis, ut producat: ergo non solum respectu intellectus increati: sed etiam respectu intellectus creati est verum, seu cognoscibile, sicut quia creatura, v.g. Petrus habet capacitatem ut producat, non solum a Deo, sed etiam ab alio homine: siquidem de facto producit ab illo, non solum est, & denominatur possibilis, seu producibilis respectu potentiae increatae, sed etiam respectu potentiae creatae, quod evidens est in actibus vitalibus, qui utriusque concurrunt essentialiter petunt.

Item, quia circa intellectum in quo est falsitas, est etiam veritas, opponuntur enim in ordine ad vnum: sed res sunt falsae comparatione intellectus creati: ergo comparatione illius sunt verae, quia comparatione intellectus increati nulla res est falsa, ut liquet ex terminis: ergo comparatione intellectus creati: ergo circa illum habent suum contrarium, nam intellectus Dei nullum habet contrarium, rem enim cognosci a Deo verè, & a creatura falsè, non dicit oppositionem, sed contrarium falsitatis est veritas: ergo veritas versatur circa intellectum creatum, quod sic demonstratur, quia ex eo quod Deus amet creaturam, non colligimus illam esse veram, neque ex eo quod si per impossibile (quod absit) cognosceret Deus falsè rem, vel esset cognoscibilis talis res, diceretur vera: ergo praecise ex eo quod ut in se cognoscit Deus illam cognoscimus seu colligimus a posteriori illud obiectum esse verum respectu intellectus increati, & a priori, quia ut sic est cognoscibile: sed est cognoscibile ut in se est ab intellectu creato, & de facto cognoscitur: ergo a posteriori, & a priori debemus colligere esse verum transcendentaliter non solum respectu Dei, sed respectu creaturæ, quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, &c.

Minor praecipui syllogismi sic probatur, quia ens creatum ut sic, non distinguitur a parte rei illo modo a suis inferioribus, a quibus abstrahitur: sed abstrahitur ab omni ente creato: ergo non distinguitur ab illo; unde non distinguitur ab intellectu creato, quia intellectus creatus aliquod ens est, a quo abstrahitur ens creatum ut sic: ergo ens creatum ut sic, non potest dicere relationem praedicamentalem realem respectu intellectus creati, quia relatum praedicamentally distinguitur realiter a suo termino.

Item, quia ipsa relatio praedicamentalis, ut est in abstracto, & constituit praedicamentum, & non ut ratio alterius est cognoscibilis, & vera ut quod, quia est ens ut quod sine dependentia a suo subiecto, & ideo ut sic definitur in praedicamento relationis: ergo est vera non per aliam relationem, quia de illa alia erit eadem interrogatio, unde processus in infinitum dabitur. Item non est vera per suum ipsum esse, quatenus relatio est, quia ut sic est essentia, quia est ens tale, & veritas, & talis veritas non est essentia, sed attributum illius: ergo aliud est in illa relatione, per quod constituitur in esse verè ut quod: ergo illud, & non relatio erit ratio formalis constituendi, quia omnia vera univoce, & aequaliter conveniunt in esse veri.

Ddd ; Praeterea,

49 Præterea, quia ens creatum ut sic abstrahit à relato, & relatione, & absoluto: ergo ens ut sic creatum iterum non poterit esse relatum, & nihilominus ut sic est verum: ergo non est verum à relatione, quia relatio realis prædicamentalis est particulare ens creatum: sed ab omnibus entibus particularibus abstrahitur ratio entis creati: ergo ab illa abstrahitur illud ens. Consequentia illa sic probatur, quia nullum superius denominatur, seu constituitur ab aliquo inferiori, alias ens ut sic, posset dici albedo, vel album, humanum, & Angelum, accidentale vel substantiale, quod est falsum, quia denominatio realis superioris non est ab aliquo, quod solum in potentia, sed in actu continetur in illo: sed nullum inferius continetur actu in superiori, alias non abstraheret ab illo: sed ens creatum ut sic, est superius abstractum à relatione & à relativo creato, ita ut illa non contineantur actu in ente creato: ergo non potest constitui ens illud, nec denominari à relatione prædicamentali actualiter, quia veritas creata constituit, & denominat ens ut attributum æquale, & convertibile cum illo: sed inferius, ut supra demonstravimus, non potest converti, & adæquari cum superiori: ergo relatio prædicamentalis creata, quæ est inferior entis ut sic creati, non potest esse attributum entis ut sic creati, præcipue, quia ut supra demonstratum manet, positivum aliquid non potest esse attributum entis, ut sic: ergo nec positivum aliquid creatum attributum esse potest entis creati ut sic: sed relatio prædicamentalis est positivum aliquid: ergo.

50 Secundo, quia illud quod est constitutum in inferioris non est disparatum respectu superioris ut sic, sed est ipsum superius constitutum, contractum tamen, & particularizatum: sed si veritas entis creati esset relatio prædicamentalis realis, ens creatum, quod est inferius respectu entis ut sic, & verum creatum quod est inferius veri ut sic, constitueretur in esse veri constitutivo disparato: at constituitur superius ut sic, & non ratione superiori contracta: ergo creatum non constituitur relatione, &c. Maior est evidens, quia ens ut sic constituitur in esse unius negatione divisionis in se, & secundum alios à se, ens creatum non constituitur relatione, vel alia ratione disparata in esse unius creati, & etiam, quia homo ut sic constituitur animali, & rationali in esse hominis, Petrus, qui est inferior essentialiter illius, non constituitur in suo esse per quantitatem; sed per idem animal, & rationale particularizatum, & contractum tamen, & sic de cæteris; & ratio evidens à priori est, quia inferius essentialiter constituitur tota ratione superiori, addendo differentiam, per quam contrahitur superius, quia omne quod est superioris essentialiter, essentialiter convenit inferiori, secundum illud, dici de omni, ita ut in attributis entis ut sic, & passionibus quæ sequuntur aliquem gradum secundum probabilissimam opinionem, non addatur ex parte inferioris aliqua differentia specifica, & sic homo, & Angelus non distinguuntur specificè, & formaliter in ratione unius transcendentalis, quia unitas non respicit formaliter hanc, vel illam entitatem, sed formaliter tantum indivisionem in entitate; quod clarius, & evidentiùs patet in potentia visiva, quæ quia sequitur ut passio gradum animalis perfectum, non distinguitur specie in homine, & Aquila sicut homo, & Aquila non distinguuntur in gradu animalis præcise ut sic: sed ens ut sic non constituitur in esse veri ut sic

per relationem prædicamentalem ut sic, sed per cognoscibilitatem, quæ est potentia, seu capacitas logica, ut cognoscatur: ergo ens creatum ut sic, non constituitur in esse veri creati, per relationem prædicamentalem, quæ disparata est respectu capacitatis passivæ ut cognoscatur, sed necessario debet constitui per capacitatem aut potentiam logicam contractam, & singularizatam, sicut quia possibile ut sic, constituitur per capacitatem passivam ut producat, tale possibile non constituitur per relationem prædicamentalem, sed per talem capacitatem logicam passivam, ne superius, & inferius disparatis constituentur prædicatis.

Præterea argumentor, & est impugnatio eius. 51 dem sententiæ, quatenus asserit in creatura veritatem transcendentalem, esse relationem prædicamentalem mensurati ad mensuram, quia hic loquimur de veritate transcendentali, quæ convenit creaturæ quatenus ens est, non quatenus est creatura: sed hæc relatio prædicamentalis convenit creaturæ quatenus creatura est, & non quatenus ens est: ergo hæc relatio prædicamentalis non est veritas transcendentalis, de qua loquimur, Maior meo videri est evidens, quia hic loquimur de attributis obiecti huius scientiæ, de qua agimus, seu obiectum huius scientiæ de qua agimus est ens, ut supra probatum est *disputatione 1.* ergo agimus de veritate transcendentali entis, quatenus ens est: ergo licet veritas transcendentalis creaturæ consistat in tali relatione prædicamentali, veritas transcendentalis entis, ut ens est, non est explicata: ergo est explicanda; de hac igitur quærimus in quo consistat, quod vero relatio prædicamentalis mensurati ad mensuram conveniat creaturæ, ut creatura est, concedunt adversarij, & est evidens, quia mensurari per scientiam divinam prædicam, solum convenit effectibus Dei, ut effectus sunt: sed solum creatura, in quantum creatura est effectus Dei: ergo relatio mensurati convenit creaturæ, ut creatura est.

Hæc sententiæ insufficienter assignat veritatem 52 transcendentalem, quia relationes divini, neque sunt mensura creaturarum; neque sunt mensurata: sed sunt veræ transcendentaliter: ergo præter dictas rationes veritatis, assignanda est alia, quæ conveniat omnibus entibus, quatenus entia sunt: sed non est alia, nisi ratio intelligibilitatis, & conformabilitatis obiecti cum cognitione, ut à nobis explicabitur, quæ est communis omni enti reali: ergo hæc est assignanda.

Urgetur, si hæc relatio mensurati ad mensuram 53 in creatura, & ratio mensuræ in Deo constituerent aliquid attributum entis, etiam relatio prædicamentalis effectus in creatura, & ratio creatoris in Deo, constituerent attributum aliquid peculiare entis: sed consequens est absurdum: ergo, & antecedens. Probatur maior, ideo rationes mensuræ, & mensurati constituunt attributum aliquid peculiare entis, quia conveniunt realiter omni enti: sed etiam ratio effectus, & causæ conveniunt omni enti realiter: ergo constituunt aliquid attributum peculiare entis. Maior est fundamentum adversariorum; Minor est evidens, quia omnis creatura dicit relationem prædicamentalem effectus ad Deum, & Deus necessario dicit rationem causæ: ergo convenit omni enti: Minor præcipua est sententiæ adversariorum, & ratio est manifesta, tum quia ratio effectus, & causæ,

Quæst. I. Quid addat veritas supra, &c. 399

causæ sunt rationes omnino diversæ, & quæ conveniunt Deo, & creaturis, in quantum Deus, & creaturae sunt, sed similiter ut dictum est, ratio mensuræ, & mensurati conveniunt Deo, & creaturis, quatenus Deus, & creaturae sunt: ergo non possunt constituere attributum entis ut ens, & ratio in qua fundatur hoc, est evidens, quia rationes, quæ conveniunt aliquibus inferioribus, secundum suas rationes differentiales nullo modo conveniunt rationi superiori, neque possunt esse attributa illius rationis superioris, v. g. quia risibilitas, convenit homini in quantum homo est, & hinnibilitas equo in quantum equus est, neque risibilitas, neque hinnibilitas conveniunt animali, ut sic, neque sunt proprietates illius, aut collectivæ, aut divisivæ sumptæ, sed proprius sunt proprietates hominis, & equi: ergo similiter ratio mensuræ, & mensurati, non erunt attributa entis, ut sic, sed ad summum erunt proprietates Dei, & creaturæ: ergo in alio distincto est ponenda veritas transcendentalis entis, ut ens est. Tum, & maxime, quia rationes mensuræ, & mensurati distinguuntur realiter adæquate, & sunt entia intrinsece: ergo ab illis potest præscindi vere ratio entis ut sic. Tum inquiram, utrum ratio illa entis ut sic, sit vera transcendentaliter, necessatio debet esse vera: sed non per rationem mensuræ neque mensurati, quia præscindit ab illis: ergo alia ratio formalis est querenda, in qua consistat formaliter veritas transcendentalis.

Tandem, quia nulla ratio positiva potest esse attributum entis, eo modo quo veritas est passio entis, ut supra questione de unitate late probavimus, sed relatio, & denominatio extrinseca sunt rationes positivæ: ergo non possunt esse attributa.

Ultima conclusio, veritas transcendentalis addit negationem, ratione cuius constituitur ultimo in suo esse. Hæc negatio est capacitas seu aptitudo logica, & non physica ad hoc ut terminet cognitionem ut in se est, & sic est immediate negatio capacitatis positivæ, seu physicæ, dicendo etiam non repugnantiam intellectus, & ideo per non repugnantiam solet explicari communiter.

Hanc sententiam non solum docent Conimbricenses, sed etiam, ut communem omnium esse docent, verba illorum sunt in Logica, questione 3. de aptitudine rei universalis, articulo 2. §. communis tamen auctorum sententia ibi, [& quod maius est obiecta potentialium, ut visibile, intelligibile, amabile, &c. (quæ sunt verum, & bonum, attributa nimirum entis) non per modos positivos, sed per negationes constituuntur, ut est, non modo advertentiorum, sed omnium communis sententia]. Sic illi, ubi adverte, vocari hanc meam opinionem communem omnium, ex quo debet colligi, quod etiam licet non sit communis omnium sententia, nihilominus sine dubio esse in Lusitania communissimam; siquidem à Conimbricenses vocatur communis omnium sententia.

Hæc est expressa sententia Divi Thomæ questione 1. de veritate, articulo 1. & questione 21. articulo 1. & parte 1. questione 5. 11. & 16 & ubicumque de his proprietatibus entis in particulari disputat; est etiam expressa sententia Aristotelis, in Prædicamentis, ad aliquid, ubi agens de tertio genere relationis ait obiectum nullam dicere relationem ad potentiam, & ad actum, ita ut cognoscibile, quod est obiectum intellectus, & constituitur in

esse cognoscibile per potentiam passivam, seu capacitatem, ut cognoscatur, nullam dicit relationem ad intellectum, nec scibile ad scientiam, nec visibile ad visum: ergo in sententia Aristotelis, hæc capacitas, & potentia ut intelligatur, ut in se est obiectum, non est capacitas physica, & positiva, sed logica, & negativa, quæ non repugnantia, ut intelligatur dicitur, quod sic patet, quia a capacitas, seu potentia physica, & positiva dicit relationem transcendentalem, & prædicamentalem ad suum obiectum, & sic constituunt tertium genus relationis, ut capacitas intellectus ad intelligibile, capacitas materiæ primæ ad formam, capacitas, seu potentia ad producendum, quod adeo verum est, ut etiam divinam omnipotentiam non possint aliqui, ut Pater Hurtado cum multis intelligere sine relatione prædicamentali ad possibile: sed capacitas obiecti intelligibilis, &c. nullam dicit relationem ad potentiam intellectivam: ergo non est potentia positiva, seu physica, sed potius logica, & negativa, quæ per negationem formaliter constituitur.

Minor patet ex verbis clarissimis Aristotelis, 57 quibus ait [mensuram non dicere relationem ad mensurabile, ut obiectum ad potentiam], & sic totum illud tertium genus, quod est inter potentiam, & obiectum, scientiam, & scibile ait esse relationis non mutæ, & sic assignat discrimen notandum inter hoc genus, & duo priora, quia in prioribus inquit utrunque relativum dicitur ad aliquid, quia id ipsum quod unumquodque est, ad aliud dicitur, & non quia aliud ad ipsum, ut vero in tertio genere, si unum relativum dicatur ad aliquid, quia vere est ad aliud, alterum vero, quod illi correspondet, non dicitur ad aliud, quia vere sit ad aliud: sed quia aliud sit ad ipsum, id est, mensurabile ad mensuram, & non e contra, ut scientia ad scibile, potentia ad obiectum quamvis ad aliud dicuntur, tamen diverso modo; nam scientia sic dicitur, quia vere est ad scibile, scibile vero si relativum dicitur, non est propter relationem veram, & realem ad scientiam, sed propter relationem secundum dici, aut si etiam, quia scientia est ad ipsum, idemque est de intellectu in se respectu intelligibilis, quam differentiam hic nulla ratione probat Aristoteles, sed ut manifestam, & ab omnibus notam tradit, idem habet Aristoteles, 5. met. cap. 15. cum enim diceret, quædam dici relata ad alia, quia alia referuntur ad ipsa à quibus denominationem accipiunt, inquit [mensurabile, & scibile eo quod aliud ad aliud dicatur, & non ipsum ad aliud,] & subdit, [nam intelligibile significatur, quod eius est intellectus, non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est, idem enim profecto bis dictum esset] quod etiam explicat exemplo visus, ad id cuius visus est, ratio autem Aristotelis ibi adducta clare demonstrat, quia si scibile ut sic dicitur, & intelligibile, quia eius est scientia, & intellectus, & refertur ad intellectum, constituiturque ab intellectu, tamquam à termino specificante: ergo prior est potentia intellectiva, vel scientia, quam intelligibile, vel scibile, quod est maximum absurdum: ergo scibile non est ad scientiam, nec ad intellectum intelligibile, quod etiam latissime probat Divus Thomas super hæc verba Aristotelis, & ait ex verbis Aristotelis colligi ex sententia contraria, dari circulum vitiosum.

Præcipue, quia si obiectum diceret relationem ad potentiam sub ratione intelligibilis, ipsa intelligibilis,

ligibilitas, per quam constituitur obiectum in esse intelligibilis, esset primarius, & essentialis conceptus entis, quod est obiectum potentiae intellectivae: sed hoc est falsum: ergo falsum est dicere, quod obiectum potentiae intellectivae hoc est verum, vel ens sub ratione veritatis, dicere relationem ad obiectum. Minor sic probatur, quia intelligibilitas, aut veritas per quam constituitur ens in esse obiecti potentiae intellectivae est attributum entis, ac proinde est secundarius conceptus illius: sed falsum est dicere, quod attributum, seu conceptus secundarius sit primarius, & essentialis conceptus illius rei, cuius est attributum, alias esset primarius, & non primarius: ergo. Sequela maioris sic probatur, quia omnis relatio transcendentalis, quae immediate fundatur in aliquod, est primarius, & essentialis conceptus illius: sed intelligibilitas per quam constituitur ens in ratione veri, & obiecti, &c. est per vos relatio transcendentalis ad obiectum: ergo est primarius conceptus.

59 Secundo principaliter probatur ratione prima, qua demonstratum manet supra unitatem transcendentalem non addere supra ens positivum aliquod: sed negationem, haec enim ratio est praecipuum nostrae sententiae fundamentum, cuius vi convincimur ad uniformiter asserendum nullum attributum entis posse addere positivum, sive ratione sive ex natura rei distinctum supra ens, aequae enim de omnibus procedit hoc argumentum.

60 Tertio probatur, quia creaturae possibiles ut tales, & quatenus ab aeterno actualiter erant, & non erant actu existentes, & ut ab ipsa existentia distinguuntur, pro tunc intelliguntur à Deo perfectissime actu; Deus enim recte, & actualiter comprehendit, evidentissimeque penetrat, & cognoscit possibilitatem creaturarum, iuxta illud *Eccles. 24.* [Dño antequam crearentur omnia sunt cognita] & illud *Psalm. 138.* [Intellexisti cogitationes meas à longe] & ut addit Augustinus, ab itineribus aeternitatis tuae, & *cap. 8.* [signa; & monstra scit antequam fiant], imo Deus ideo producit creaturas, quia cognoscit quid possibilitas uniuscuiusque exigat, & etiam quia cum sit infinite cognoscitivus, nihil cognoscibile illum debet latere, sicut quia est omnipotens, nullum possibile potest fugere ipsam omnipotentiam. Tunc sic, illae creaturae possibiles actu sunt cognoscibiles ab aeterno, id est actualiter habent cognoscibilitatem, & veritatem, quia si tantum potentialiter, & non actualiter essent cognoscibiles, non actualiter cognoscerentur, sicut quod non actualiter est visibile, non potest actualiter videri, & quod non est actualiter operativum aut intellectivum non potest actualiter intelligere, & operari, nam licet verum sit, quod potentia Dei dicat rationem possibilitatis respectu obiecti, vel operationis, nihilominus ipsa omnipotentia actualitatem dicit necessario sui, ita ut ante actualitatem vel sine actualitate non possit reduci ad actum, quia actus praesupponit completam potentiam, alias posset caecus, qui potentiam habet habendi potentiam visivam actualiter videre per potentiam absolutam, quod est falsissimum: sed intelligibilitas est potentia ut intelligatur, sicut possibilitas est potentia ut producat: ergo non potest intelligi res, & cognosci ante actualitatem intelligibilitatis, & sine actualitate illius, sicut si non est actualiter possi-

bilis creatura non potest actu produci, quia non potest dari actualis actus specificatus sine actuali specificatione, quod est veritas seu intelligibilitas: ergo siquidem actu intelligitur à Deo possibilitas, actu est intelligibilis, & una: sed possibilitas creaturae ut sic nullam actualem habet rationem additam positivam supra se; tum quia illa non in positivo; sed in negativo consistit ut postea probabitur, & positivum non fundari potest in negativo, & etiam quia positivum potest esse negativi passio, alias essentia esset imperfectior suo attributo, & hac ratione illud quod est inferioris ordinis ut est accidens, non potest fundare substantiam, nec modum rem: sed negativum est inferioris ordinis respectu positivi formaliter: ergo sicut accidens non potest esse subiectum, nec fundamentum substantiae, nec essentia substantiae: sic similiter negativum non poterit esse fundamentum, & subiectum positivi, quantumvis essentia, tum etiam quia ab aeterno non datur aliquid positivum actu: ergo intelligibilitas quae ab aeterno datur, actu non est quid positivum, sed negativum.

SECTIO ULTIMA.

Solvuntur argumenta.

Ad locum Arist. respondetur, quidquid sit 61 de falsitate, sive sit tantum denominatio extrinseca sive metaphorica ratio, de qua quaestione sequenti agitur, non esse idem de veritate: veritas enim est aptitudo intrinseca logica, ut cognoscatur, quod non habet falsitas, ut videbimus.

Ad rationem transeat totum argumentum, ne- 62 go tamen consequentiam quod eadem ratio sit de falsitate ac veritate, ut videbitur *quest. sequenti.*

Ad rationem secundae sententiae concedit illud antecedens, negatur tamen quod non sit denominatio absoluta negativa quoad ultimum, quod additur supraens sumpta à potentia logica, quae non est relativa, licet connotet intellectum unde etiam negatur quod veritas sit adaequatio rei cum intellectu divino: sed potius est cognoscibilitas cui adaequatur intellectio divina, quare negatur quod illa veritas sit relatio.

Ad confirmationem negamus hanc relationem habere, licet per impossibile detur omne quod necessarium est ad attributum propter rationem dictam in conclusione nostra.

Ad primum tertiae sententiae nego antecedens; 63 ad probationem negamus similitudinem item negatur, si tanquam à priori dicatur quod licet cognitio non sit vera, ipsum cognoscibile verum est; unde potius verum est dicere si sit impossibile obiectum verum, erit impossibile cognitio, & haec est ratio à priori, à posteriori autem poterat concedi, bene colligi non dari obiectum cognoscibile, si cognitio impossibilis est, sicut bene colligitur, non datur lux: ergo non est sol, non ex eo quod constituitur sol à luce in suo esse, quia constituitur in illo à propria forma intrinseca; sic similiter cognoscibile à propria aptitudine intrinseca logica constituitur in esse cognoscibilis, & non à cognitione potentiali.

Ad secundum conceditur antecedens, & negatur consequentia; ad probationem nego illud

lud antecedens, quia cognoscibile non à cognitione, sed à potentia logica, quæ antecedit cognitionem constituitur.

64. Ad ultimum si sit à priori, & formaliter illa causalitas negatur, à posteriori vero & tanquam ab effectu concedo; id est ex eo quod cognitio sit apta ut terminetur ad obiectum, colligimus à posteriori dari obiectum cognoscibile; conceditur etiam maior, & negatur illa consequentia; ad probationem minoris negatur antecedens, quia terminari cognitionem ad obiectum est ipsa entitas intrinseca cognitionis, & est denominatio intrinseca in illa: terminare autem obiectum illam est extrinseca denominatio, & etiam negatur ipsum exemplum visus, & visibilis; negatur etiam illud ultimum, quia falsum: nam materia prima ex sua essentia constituitur vniuersalis, unita autem ab vnione; unde falsum est dicere ab eadem forma denominari possibiliter & actualiter.

QVÆSTIO II.

Quid sit falsitas in rebus.

Dico primo: Nulla datur falsitas intrinseca in rebus respectu intellectus divini, neque speculativi, nec practici. Hæc est communis sententia Doctorum, & probatur sic.

1. Quia falsitas est quædam non repugnantia ut cognoscatur res non vero ut in se est, seu est incognoscibilitas ut in se est: sed res nullam habet incognoscibilitatem respectu Dei ut in se est, quia datur summa cognoscibilitas respectu Dei, quia Deus necessario adæquatur cum suo obiecto: ergo nulla datur falsitas in ente respectu Dei. Quod sic demonstratur, quia si daretur falsitas transcendentalis in ente respectu Dei, in Deo daretur falsitas actualis, quia falsitas transcendentalis in ente secundum adversarios est capacitas passiva cui correspondet actus falsus: sed ex parte Dei impossibilis est actus falsus: ergo ex parte entis impossibilis est talis capacitas in ordine ad Deum; unde impossibilis est falsitas transcendentalis in ente.

2. Item, quia scientia speculativa quam Deus habet de omnibus rebus necessario est verissima, ac propriissima: ergo res cognite in ordine ad hanc scientiam non habent cognoscibilitatem falsam.

Secunda pars conclusionis sic eum P. Suarez probatur, quia vel res sunt factæ à Deo, vel non; res non factæ à Deo tantum sunt aut res summe bonæ, quæ est ipsemet Deus, qui supra omnem est mensuram, & supra omnem idæam, & extra omnem causalitatem intellectus practici, & ideo hæc res summe perfectæ nullam potest habere falsitatem; aut res summe malæ, quæ est culpa ut culpa, hæc enim sicut à Deo non fit, ita neque in Deo propriam idæam habet: sed est potius in Deo idæa bonitatis, & honestatis à qua culpa discordat; ex quo habet, quod vera culpa sit; quia sicut eius esse, ita & eius veritas in defectu consistit: solet autem interdum culpa, falsitas, & deceptio appellari, non tam in ratione mali aut culpæ, quam in ratione boni; omne enim peccatum habet aliquam rationem apparentem.

R. P. Ildaph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

rentis boni, sub qua falsum, & fucatum quid vocari solet, eam vero rationem non habet in ordine ad Deum, quia ut in scriptura asseritur, apud Deum omnia nuda, & aperta sunt; alia vero res, quæ à Deo sunt nunquam discordant ab arte vel idæa eius, quia est tam potens in exequendo, quantum est sapiens in cognoscendo, & licet aliqua monstruosa oriantur, cum illa non eveniant casu, & fortuito respectu Dei: sed ex vera scientia, & voluntate eius, necessarium est ut etiam hæc quatenus entia sunt non discordent à divina scientia practica, quia Deus sicut vult cum causis secundis non impeditis influere ad effectus integros, & perfectos, perficiendos, ita vult cum eisdem impeditis influere ad efficienda monstra: unde sicut quando optimus pictor non ex impotentia: sed voluntarie depingit monstrum, illud non dicitur discordare ab arte; neque esse aliquid falsum respectu talis pictoris, ita neque monstra naturæ, falsitatem habent respectu supremi artificis Dei, quia ea sciens, & videns fabricatur quatenus entia sunt; quod ideo adiungo, quia si hæc considerentur, quatenus in eis est privatio; seu carentia alicuius perfectionis ut sic, non per se sunt: sed per accidens, nec habent propriam idæam, ad quam conformantur, nec respectu illius vera, vel falsa possunt dici: sed habent talem defectum, quatenus deficiunt ab alia perfectiori idæa, hic autem defectus, vel non est à Deo, ut in malis culpæ, vel si est ab ipso, ut in malis penæ non est præter scientiam divinam sed cum maxima scientia.

Dico secundo, res non dicuntur falsæ intrinsece, & quantum est ex se respectu intellectus creati speculativi, quia intrinsece non possunt dari in vno subiecto duæ rationes oppositæ respectu eiusdem: sed res quantum est ex se sunt cognoscibiles, ut in se sunt respectu omnium intellectuum: ergo non habent incognoscibilitatem, ut in se sunt, seu repugnantiam cognitionis, ut in se est, in qua consistit falsitas, quia non repugnantia, & repugnantia opponuntur immediate respectu eiusdem, quæ sunt falsitas, & veritas; unde in eodem ente intrinsece non possunt reperiri.

Vergetur, eadem entitas non potest esse possibilis, & impossibilis respectu eiusdem propter immediatam repugnantiam: sed cognoscibile ut in se est, & incognoscibile ut in se est, se habent sicut possibile, & impossibile: ergo cognoscibile, & incognoscibile, quæ sunt veritas, & falsitas, non possunt reperiri simul in eodem ente: sed certum est in omnibus rebus dari cognoscibilitatem ut in se est: ergo non datur in illis incognoscibilitas ut in se est, quæ incognoscibilitas falsitas est. Minor prima sic probatur, quia sicut possibilitas est non repugnantia ut producat, & impossibilitas est repugnantia ut producat, ita falsitas seu incognoscibilitas ut in se est, est repugnantia ut cognoscatur ut in se est, & veritas seu cognoscibilitas est non repugnantia ad hoc ut cognoscatur: ergo sicut se habet possibilitas & impossibilitas, ut non repugnantur in eodem subiecto propter oppositionem, sic se habent veritas, & falsitas ad idem.

Secundo, vel denominantur falsæ res aptitudinali difformitate, ut ipsi adversarii asserunt, vel actuali: sed neutrum potest dici: ergo. Minor quoad primam partem sic probatur, quia omnis res quantum est de se apta est cognosci sicut est,

& apta est generare proprium, & adæquatum sui conceptum, quod autem aliquis intellectus in eis cognoscendis interdum decipiatur, non provenit ab ipsis quatenus entia sunt, sed vel ex defectu virtutis intellectus, vel ex alijs impedimentis extrinsecis ipsi enti: ergo ratione aptitudinis, quæ est in rebus ut intelligantur non convenit eis falsitas.

7 Altera minoris pars sic probatur, quia si ex eo quod aliqua cognoscuntur falsæ, falsæ intrinsece dicuntur, Deus intrinsece falsus erit, qui etiam falsæ cognoscitur ab hæreticis, quod est maximum absurdum, tum contra lumen naturæ, tum contra lumen fidei catholicæ: ergo absurdum est dicere, quod res sit intrinsece falsæ, vel quia falsæ actu cognoscitur, vel quia potest falsæ cognosci.

8 Confirmatur, quia ex eo quod à visu cognoscatur, & perspicitur mons viridis, ut cæruleus, vel cælum, quod nullum colorem habet, ut cæruleum, vel quia potest sic cognosci falsæ intrinsece, & proprie non est falsum cælum, quia hoc non provenit ex aptitudine intrinseca, nam potius habet oppositam aptitudinem, sed ex defectu potentie visivæ quod defectus maxime extrinsecus est respectu cæli, sicut non dicitur Deus intrinsece malus, vel odibilis, quia potest odio haberi à creatura, quia id non provenit ex intrinseca aptitudine Dei, sed intrinseca inordinatione voluntatis creaturæ: ergo similiter ex eo quod Deus falsæ cognoscatur ab intellectu, propter defectum intellectus ignorantie, & erroris, & non ex aptitudine intrinseca Dei, non dicitur falsus Deus intrinsece, & proprie, unde nec ceteræ res falsæ dicuntur propter illam rationem.

Item si res est falsæ respectu intellectus creati: ergo respectu intellectus verum, & proprium conceptum formantis talis rei, & hoc non ut per se constat, vel respectu intellectus concipientis aliam rem, ut auricalem videtur dici falsum aurum, respectu intellectus concipientis verum aurum, & hoc etiam modo verum aurum potest dici falsum auricalem respectu concipientis verum auricalem, & sic redit idem inconveniens.

10 Dico ultimo nullæ res, nec naturales, nec artificiales, nec morales dicuntur proprie intrinsece falsæ respectu intellectus practici creati; de rebus naturalibus clarissimum est, quia res naturales non pendunt illo modo à creato intellectu tanquam à suo artifice, quia licet creatura intellectualis producat aliam, v. g. homo hominem, nullo modo dirigit illam operationem intellectus, quis enim hominum potest cognoscere, quomodo ex eodem semine caro, nervi, & ossa producantur, hac enim de causa, exclamat hebreæ Syren. [mirabilis est facta scientia tua ex me:] ergo absolute, & simpliciter non dicuntur falsæ respectu intellectus creati; ex quo sequitur etiam naturalia monstra non habere propriam falsitatem: sed potius imperfectionem, vel defectum, quia respectu causarum secundarum non dicuntur falsæ, quia illæ ut diximus, non operantur per intellectum; falsitas autem sumenda est in ordine ad aliquem, ut intellectivum formaliter operantem, & cum illa imperfectio effectus non proveniat ex aliquo defectu intellectus, non potest proprie falsitas appellari, sed imperfectio, & ita hæc solent vocari monstra naturæ, seu peccata illius, quæ vox imperfectionem potius quam falsitatem indicat.

Secunda pars de Artificialibus sic patet, artificialia enim non est dubium quin interdum discrepent ab arte: sed hoc dupliciter contingit, uno modo quando discrepent ab arte quæ est in artifice, seu ab idea quam revera habet conceptam alio modo, quando discrepent ab arte, quam deberet habere, quamque alius peritus artifex haberet, quando hoc posteriori modo contingit, non videtur proprie habere locum denominatio falsitatis, quia tunc res arte facta non discordat ab idea, à qua procedit ad alias vero perfectiores ideas, quæ sunt in alijs artificibus non comparatur talis res, ut ad principium practicum, sed ut ad cognitionem speculativam, & sic respectu illarum non habent propriam falsitatem, quando vera res arte facta prodit difformis ideæ, quæ est in artifice, ut actu operante, seu à qua proxime procedit, tum maxime videtur esse falsitas in tali re artificiali: sed adhuc illa non potest proprie dici falsitas, tum quia ille defectus in effectu non procedit ex imperfectione, aut falsitate intellectus, sed ex imbecillitate potentie exequutis, vel alio simili occurrente impedimento; tum etiam, quia illud artificium ut sic, & quatenus cum illa difformitate sit non procedit ab ideæ, sed casu fit: ergo non comparatur ad illam, ut ad causam, & mensuram ut per conformitatem, vel difformitatem ad illam falsum denominetur.

Confirmatur, nam cognitio illa, vel idea non est falsa per difformitatem ad illud opus, quia re vera non habebat illud pro obiecto: ergo neque è contrario opus ipsum potest denominari falsum in ordine ad talem cognitionem, cum neque sit obiectum, neque effectus illius quantum ad imperfectionem, secundum quam ab idea discordat, dicitur potius malum illud opus, ut Dialectici dicunt illationem, quæ non fit iuxta regulas artis, quam quidem malam non autem falsam vocant; atque idem discursus fieri potest de operibus moralibus, etenim opera quæ à regulis prudentiæ discordant, quæ dici solent falsa practice, secundum illud *Psalm.* 4. [ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?] tamen hoc solum est, quatenus sequuntur ex aliquo dictamine falso practice, unde ab illo solum opus falsum, proprie tamen non est in ipso opere falsitas, nam si comparatur ad illud dictamen, à quo actu procedit, illi est conforme, quia illud dictamen imprudens est, & erroneum; si autem comparatur ad illud dictamen, per quod deberet vitari talis defectus in actu, vel ipsam rectitudinem habere, quatenus actus humanus est respectu illius, non tam falsus, quam pravus potest dici, tum quia illud debitum operandi iuxta dictamen prudentiæ, non tamen ad veritatem rerum, quam ad honestatem morum pertinet; tum maxime, quia opus illud quatenus realiter fit, non est obiectum illius dictaminis, neque ab illo procedit, ut patet ex Augustino *lib. 1. Soliloq. cap. 8.* dicente, [si verum esse id quod est, dixerit falsum non esse, uspiam concluderetur] quæ verba exponens Divus Thomas, *1. part. q. 17. art. 1. ad 1. inquit:* [res comparata ad intellectum, secundum id quod est dicitur verum, secundum id quod non est falsum dicitur, unde verus tragicus est falsus Hector, ut dicit idem Augustinus, secundo Soliloquiorum, *cap. 2.*] Igitur entia quatenus entia sunt, non sunt falsæ: sed si falsitas aliquo modo eis attribuitur, solum est per analogiam, & attributionem, & quatenus non entia sunt.


Tribus

13 Tribus modis dicitur res falsa, primo propter similitudinem ad rem veram, ratione cuius occasionem falsitatis nobis præbet, & ut melius loquamur, ratione cuius occasionem accipimus propter nostrum defectum, ut scilicet illud existimemus esse, quod non est, ut occasionem, quam sumebat Salomon ad iudicandum Peponem esse Deum, ut Ægyptij, ratione cuius honores debitos Deo, sacrilege, & imprudenter Peponi tribuebant, & de hoc modo dixit Arist. 5. metaph. cap. 29. [falsa dici quæ apta sunt, ut videantur esse, aut quæ non sunt, aut qualia non sunt, ut veluti pictum, & in formia.] Secundo dicitur falsum, quia est obiectum falsæ enunciationis, & in hoc sensu dixit Paulus idolum esse mendacium. Vltimo modo dicitur quando res non est adæquata, vel conformis atti.



DISPUTATIO EADEM VI.

De tertio attributo entis, scilicet de Bonitate.



QVÆSTIO I.

Quid addat, & à quo ultimo constituatur bonum, ratione cuius sit attributum.

SECTIO I.

Sententia Adversaria ponuntur.

PRIMA sententia est Patris Vasquez, asserentis bonitatem formaliter esse perfectionem, seu integritatem rei in suo esse, atque adeo bonum transcendens formaliter esse idem, quod integrum, & perfectum, quærens ipse quid sit, an absolutum, vel relativum, asserit integritatem illam formaliter loquendo esse relationem integritatis ex pluribus, & non convenientiæ unius rei cum altera, neque esse ad ipsam essentiam, tanquam alicuius illi convenientis, sed versari, quæ ad integritatem requiruntur, respiciendo quodam modo essentiam quam relationem ait in simplicibus esse rationis, in compositis vero esse realem hoc totum data opera, & late explicat 1. part. tom. 1. quæst. 5. disput. 23. cap. 5. 6. 7. & pro se citat Herveum, de quo quid ad nos, hæc sententia probatur.

Primo à Vasquez sic ex Divo Thoma 1. part. qu. 5. art. 1. in solutione ad primum, ubi hæc habet, [sed bonum dicitur rationem perfecti,] & paucis interiectis, [vnde, quod est vltimo perfectum, dicitur bonum simpliciter.]

2 Secundo probatur ratione ex verbis Patris Vasquez, quoniam si alicui rei desit quidquam ex his, quæ ad eius integritatem convenire debent, ex illius defectu dicitur, & est mala, non quia alteri inconvenientis sit, sic enim non absolute, sed secundum quid, seu quibusdam mala dicitur, quia nulla res est, quæ omnibus alijs dis-

R.P. Ildaph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. 1.

conveniens sit: ergo bonitas rei absoluta in integritate illius posita est, hoc modo dicimus malum equum, cui deficit oculus, vel cauda, his argumentis tota sententia concluditur.

Secunda sententia est Patris Suarez in metaph. physica, disp. 10. sect. 1. & 3. ubi num. 5. sic ait, denominatio igitur boni, quæ omni enti necessario convenit, illa est, quæ à perfectione intrinseca, & essentiali desumitur, atque ita bonum sumptum convertitur cum ente. Conclusionem autem 3. n. 6. sic ait, Dico tertio, omne ens etiam est bonum respectu alicuius, id est alicui convenientis, quo circa etiam bonum sub ratione convenientis sumptum, cum ente convertitur, & est attributum seu passio eius; explicans autem magis hoc negotium, sect. 1. sic ait. Dicendum ergo supra ens solum posse addere rationem convenientiæ, quæ non est proprie relatio, sed solum connotat in alio talem naturam habentem naturalem inclinationem, capacitatem, vel coniunctionem cum tali perfectione; vnde bonitas dicitur ipsam perfectionem rei connotando prædictam convenientiam, seu denominationem consurgentem ex coexistentia plurium: hæc sententia sic explicata probatur primo verbis Patris Suarez.

Quia quæcunque entitas est convenientis alteri vel tanquam effectus causæ; vel è contra, tanquam accidens substantiæ; & è contra, vel tanquam relatio terminorum, vel tanquam coexistens coexistenti, &c. & ex alio capite includit perfectionem, quia sine perfectione nihil est bonum: ergo in his bonitas consistit.

Secundo, quia talis connotatio in ente sufficit, ut sit nonnulla distinctio rationis, fundata inter ens, & bonum, ut sic possit bonum attribui enti tanquam proprietas, & non esse synonymum cum illo, quia formaliter aliud est esse, seu habere entitatem, aliud vero ratione entitatis habere semper aliquam convenientiam, quam ratio entis non declarat, illam vero dicit.

Tandem hoc potest declarari inductione in omnibus bonis, nam bonum honestum, ex omnium sententia dicit per se convenientiam cum natura rationali, ut rationalis est bonum delectabile, nihil aliud est, quam bonum habens convenientiam cum natura sensibili, bonum autem vile solum dicit bonum aptum, & accommodatum, seu convenientis ad finem intentum; recte igitur convenientia constituit bonum ut sic.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur.

PRIMA conclusio: bonum non addit integritatem seu perfectionem supra ens, eo modo quo ponitur ab Adversariis: hæc sententia sic probatur.

Primo, quia integritas seu perfectio, est positiva ratio, negatio enim non potest esse perfectio, quod adeo verum est, ut in ipso Deo, ubi totum quantumcunque est, perfectio est, si aliqua negatio dicitur, ut vera negatio, ut est indivisio constitutiva unitatis per vos, non est perfectio, &c. sed ut latissime probatum manet, quæst. 2. Quid addat unum supra ens, positiva ratio non potest esse attributum entis, præcipue cum hic dicat Pater Vasquez, bonum converti cum ente: ergo perfectio seu integritas, quæ positivæ rationes

Ecc 2 sunt